Responsum S. Regiae Majestatis Joachimi Frid. Marchionis Brandeb. Legatis.

RESPONSVM SACRÆ Regiæ Maiestatis.

ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI IOACHIMI FRIDERICI Marchionis Brandenburgensis. Sac: Rom: Imperij Principis Electoris &c. Legatis. Illustri Magnificis & Generosis Wedigoni Raimaro Gans, Libero Baroni in Putlitz. Isaaco Kracht: & Ioachimo Hubnero, datum Warsauiæ, die XI. Mensis Martij. Anno Dñi, M. DC. V.

SAc: Reg: Mai: Dominus Noster Clementissimus, Amplissimusq; Senatus, perspectis cognitisque iis, quæ Illustriss. Principis ac Domini, Domini Ioachimi Friderici Marchionis Brandeburg: &c. Sac: Rom: Imperij Electoris, in Prussia, Stetini, Pomeraniæ, Cassuborum, Vandalorumque, necnon in Silesia Crosnæ, Carnouiæque Ducis, Burggrauij Norinbergensis & Principis Rugiæ &c. Illustres & Magnifici Legati, pleni potẽtia Celsitudinis suæ Illustritatis exhibita, deque mandatis suis plena fide facta, ad conditiones in proximis comitijs Cracouiensibus ex præsentis temporis & Reipub: ratione ac statu, sine alterutrius tamen partis Iuris præiudicio propositas, aliquot partim scriptis, partim colloquijs, cum delegatis à Sac: Reg: M. ex Senatorio & Equestri ordine responderunt, in eam, quæ

 sequitur

sequitur, sententiam, de toto isto negotio mentē suam declarandam putat.

Imprimis non dubitat S. R. Maiestas, Amplissimusque Senatus, beneuolentiā, propensionem, studiumq; suum erga Illustrissimam domum Brandeburgicam, vt in superioribus actionibus: ita hac quoq; postrema satis Illustrissimæ Celsitudini suæ probatum iri. Quantum enim in S. R. Mai: fuit, neque in Ipsis Dominis Oratoribus audiendis vllam moram interposuit, & quàm primùm auditi fuerunt, ex vtroque tàm Senatorio, quàm Equestri Ordine summæ authoritatis aliquot repetitis vicibus delegauit, quid de toto hoc negotio cum Dominis Oratoribus tractarent, Quot finem nihilominus in Comitijs hisce nondum per omnia sortiri, certumque aliquid constitui potuerit, nihil aliud, quàm fatum aliquod aduersum, ipsorumq; adeò negotiorum difficultas & magnitudo accusari potest. Scit sine dubio Illustrissima Cel. eius cum amplissimū latissimeque patens hoc Regnum esse, cuius cum & varia grauissimaq; negotia sint, difficulter sex septimanarum exiguo spacio, quibus Comitia circumscripta sunt, explicari possunt, quæ integro biennio, quod inter Comitia intercedit, partim cumulantur partim etiam præter expectationem obiiciuntur. Hic igitur vt & prudentiam, & animi sui æquitatem in Consilium Illustrissima Celsitudo sua adhibeat, etiam atque etiam contendendum S. R. M. ab illustrissima Celsitudine sua est; quod cum fecerit, neque per S. R. M. & ma-

ximam

ximam etiam partem Ordinũ ſtetiſſe,quo minus nunc negocium id definiretur, facillè illuſtriſsima celſitudo ſua intelliget, neque moram eam, quæ non à voluntate aliqua S. R. M. Ampliſsimiquè Senatus, maioriſque adeò partis Ordinum,ſed iniuria ſeu difficultate temporum interuenit,iniquo animo feret. Interim tamen, ne nihil omnino actum videretur,& eo certiùs ad proxime futura Comitia illuſtriſsima celſitudo ſua Legatos ſuos mittere poſsit,etſi Comitia hæc ita ſoluta ſint vt cum iis durantibus, tractari de Cõditionibus iis cæptum fuiſſet, inopinatò diſſolutis, neque vllà alia de re ad Rempub: pertinente, neque de hac quoque quicquam certi conſtitui potuerit: Conſilio tamen Senatorum ſuorum etiam poſt Comitia adhibito, de agitatis conditionibus quàm breuiſsimè & planiſsimè mentem ſententiamque ſuam declarandam exiſtimauit,ad eandemquè vt cum antè proximè futura Comitia,tùm initiò eorum omnium etiam Ordinum Cõſenſum adducat impetretquè, candido ſinceroquè ſtudio operam dabit.

Ac primùm quidem,quod ad authographum inueſtituræ Petrcouiẽſis attinet, ſatis fieri ſibi S. R. M. Ampliſsimuſquè Senatus declaratione Cracouienſi patiuntur, vt ſi opus id eſſe iudicauerint vt in finibus, vel aliquo idoneo loco, cúm illuſtriſsima celſitudine ſua requiſita ea de re fuerit, de Legatis S. R. Maieſtatis id exhibeat.

De formula Homagij itidem ac quieſcit Reſponſo

Dominorum Oratorum Cracouienſium vt nimirum illuſtriſs: Princeps Elector ipſe in perſona ad Comitia veniat, rituqúe & ceremonia ſolenni, in publico theatro, eodem omninò modo, iiſdemqúe verbis Homagium & Iuramentum præſtet, quibus proximè illuſtriſsimus Princeps Dominꝰ Georgius Fridericus, Marchio Brandeburgenſis, in Pruſsia Dominus & Curator id præſtiterit, eodemqúe modo ſucceſſores etiam illuſtritatis eius id præſtent.

In cauſa Religionis hæc quidem Domini Legati, cùm vrgerentur, receperunt, libertatem nempè conſcientiarum nullis Ducalibus religionem Catholicam Romanam profitentibus, qui in præſentiarũ ſint, aut deinceps futuri eſſent, labefactatam aut cõuulſam iri: Sacella itidem & Oratoria vbiuis tàm in cõfinijs, quàm alibi integra, tuta, & conceſſa, in iiſdem liberum pietatis & doctrinæ inſtitutiſqúe Catholicis exercitium fore, neminem eo nomine turbari, inquietari, premi, neminem Religionis Catholicæ ergò vllam vim, iniuriam, contumeliam extimeſcere debere. Iura patronatus etiam & Templa, quicunque Catholicus habebit, eorum vſu & publico exercitio non priuatum iri; Sed ipſi integrum, liberum, illibatumqúe futurum ad munera etiam & honores Catholicos idoneos admiſſum iri; Sac: Reg: Maieſtatis atque Ampliſsimi Senatus nomine, cum alia quædam propoſita fuerunt, tum vt ad minimum Regio monti, vnum atque alterum templum, ad Religionis Catholicæ vſus, cum reditis

bu-

bus iuſtis aſsignetur, non ſolum propter eos qui ex ducatu eius Religionis ſint aut fuerint: verùm non minùs etiam, qui ex Regno Magnoqúe Ducatu Lithuaniæ Catholicæ Religionis homines, negociorum ſuorum cauſa, frequenter eò venire ſolent: Verùm cùm Domini Legati maximam partem ad prouinciales iſta pertinere, vtqúe cum ipſis, ſi quid amplius obtinere per Commiſſarios poſsit, S. Regia Maieſtas agat, per celſitudinem ſuam integrum fore oſtendiſſent, S. Regia Maieſtas Ampliſsimuſq; Senatus, quæ à Dominis Legatis data ſunt, in præſentia quidem accipit, ita vt poſtea quàm in poteſtatem aut curam & adminiſtrationē illuſtriſsima celſitudo eius Ducatus peruenerit, executioni mandentur: De illis autem, quæ ab illis propoſita fuerint, vt cum ipſis prouincialibus, per Commiſſarios ſuos, agat conſtituatqúe, ſibi reſeruat.

Eodem modo de Calendario nouo recipiendo, de quo dudum non immerito. *S.* Regia Maieſtas moleſte ſe ferre exiſtimat, quod cum Regni huius membrum Ducatus is ſit, ſi non ſummi Pontificis, cuius cura correctum id eſt: tamen non potius S. *R*egiæ Maieſtatis tanquam directi Domini, *R*egniqúe, quam *I*ulij Cæſaris, à quo vetus profectum eſt, principis profani authoritatem in eo ſequatur. Verùm cum hac quoque de re, cum ipſius Ducatus incolis tractandum eſſe, Domini Legati oſtenderent, de ea quoque cum prouincialibus Ipſis, per Commiſſarios ſuos vt conſtituatur, S. *R*egia Maieſtas aſsentitur.

 Succeſ-

Succeſsionem iuſtè ad vnam certam lineam rectam deſcendētem, nimirum Illuſtriſsimum Principem Electorem, Eiuſqúe filios, horumqúe poſteros omnes ex ea linea ſibi inuicem ſuo loco & tempore in Electoratu ſucceſſuros. reuocari adſtringiqúe debere. *S. Regia* Maieſtas & Ampliſsimus *S*enatus exiſtimant,vel ex eo, quod cum feudum hoc primùm in illuſtriſsimū Principem *I*oachymum, laudatiſsimæ memoriæ, Electorem lineamqúe directam,quæ in Electoratu Illi ſucceſſura eſt, collatum fuiſset,poſt ea quàm cum Illuſtriſsimo etiam Sigiſmundo minore natu filio, Adminiſtratore Magdeburgenſi, communicari id petitum fuiſset, etſi ſororis Germanæ,Diuæ memoriæ,Sigiſmundi Auguſti filius is fuiſset, dilatum id tamen fuerit, ex quo ſatis apparere potuerit, eam ab initio mentem inueſtientis fuiſse, vt non niſi ad vnam lineam ſolam feudum pertineret. *C*um Domini Legati, ex vi inueſtiturarum, fratres etiam Illuſtriſsimi Principis Electoris ad ius id pertinere contenderent, quod totius iſtius rei, de *I*ure ſucceſsionis, definitio à publica Ordinum authoritate penderet, neceſsario ad proxima *C*omitia eam differendam *S. R*egia Maieſtas iudicauit.

Subſidij nomine ita tandem *S.R*egia Maieſtas atque Ampliſsimus Senatus mentem ſuam declararunt, vt triginta millibus annuis, totidem contributionis nomine, quoties in *R*egno publicè aliqua decernetur, contenti futuri ſunt: *I*ta nimirum, vt quoties publica

aliqua

aliqua neceſsitate ingruente tributum in Regno decretum fuerit, ſexaginta millia, tàm tributi quàm annuæ penſionis nomine, ſimul coniunctimqúe ab illuſtriſsima Celſitudine ſua, ſucceſſoribusqúe illius, in vſus publicos præſtentur, idque à proximè futuro feſto Pentecoſtes infra annum; quæ quidem conditio à Dominis Oratoribus accepta fuit.

De Appellationibus, vt ſine exceptione ad S. Regiam Maieſtatem Incolis Ducatus ab vltima inſtantia permitterentur; etſi ab Oratoribus illuſtriſsimæ celſitudinis ſuæ poſtulatum, ac ab iis certo modo conceſſum fuit: Attamen cum deinde, ne hominum temeritate in immenſum lites creſcerent, vt ad quingentorum florennorum ſummam reſtringerentur, iidem petiiſſent, ne videlicet infrà illam appellaretur, neuè, niſi à ſententia definitiua, aut eius vim habente, Priuilegium itidem de Appellationibus ægro Principi ad vitam eius conceſſum, in id etiam ſaltem tempus integrum maneret, hiſce quoque conditionibus non in vita aſſenſa S. Regia Maieſtas, atque ampliſsimus Senatus fuerunt. Cùm verò ad idem genus Regalium non minus fidei publicæ ſiue ſaluorum conductuum ius pertineat, vt ſi qua iuſta ex cauſa Ducali alicui fide publica cauendum, ſaluumqúe conductum tribuendum, S. Regia Maieſtas ſucceſſoresuè eius exiſtimarent, ſalui conductus ij, ſecũdum Ius publicum, ab illuſtriſsima celſitudine eius, ſemper etiam ſacroſancti eſſe debebunt.

Non

Non dabuntur autem salui conductus, vllis hominibus, vel facinorosis, vel in crimine sceleréue aliquo deprehensis: sed si quis vel ex sinistra aliqua delatione offensionem Principis incurrerit, vel Aduersarij alicuius potentia prematur, aut alia aliqua iusta ex causa dignus peæsidio atque patrocinio Regio videbitur: ac dabuntur quidem non à iure, sed à vi tantùm & potentia, vt iuri nihilominus se sistere, reiqúe iudicatæ parere teneatur.

Durante itidem saluo conductu, modestè se gerat, nullum iniuria afficiat, tùm verò publicè saluum conductum illum ad noticiam omnium, maximè autem Magistratus adducat: Ad extremum etiam ad trium tantùm mensium spatium dabuntur, intrà quos & iure experiri, & alia honesta negotia sua gerere administrareqúe, qui saluum conductum habuerit, possit: spacio autem eo elapso, si vlterius eo dignus fuerit, alium impetrabit.

De quatuor Nauibus, assentitur *S. Regia Maiestas*, & Amplissimus *Senatus*, vt dum necessitas postulabit, ad oram maritimam Prussiæ tuendam, suo sumptu illustrissima celsitudo sua eas habeat, postea si *Regia Maiestas* vti iis velit, de sumptu in eas faciendo, cum illustrissimo Principe Electore tractet.

Præfectum *Memelensem* tali *Iuramēto* obstrictum esse debere, *S. Regia Maiestas* atque Amplissimus *Senatus* censent, quo *S. Regiæ Maiestati* & *Regno*, tanquam

quam Domino directo: Illustrissimo Principi Electori, tanquam vtili Domino obligetur. Cùm verò Domini Legati, præter superiora pacta & morem hactenus seruatum, id postulari affirmarent, fidem etiam quasi Illustrissimæ Celsitudinis eius, vt quæ ipsa futura iurata esset, hac re in dubium vocari dicerent, non inuita S. Regia Maiestas assensa fuit, vt in congressum ipsius illustrissimi Principis Electoris, cùm S. Regia Maiestate caput id differretur.

De finium tàm Magni Ducatus Lithuaniæ, quàm Episcopatus Warmiensis & aliarum Regiæ Maiestatis ditionum, cum Ducatu controuersiis dirimendis, cum à Dominis Oratoribus nihil recusetur, non est, quod amplius & S. Regia Maiestas ac Ordines postulent, quàm vt quam primùm, more consueto, de iis cognoscatur definiaturque.

Priuilegia Iuraque Incolarum Ducatus Prussiæ, vetera itidem pacta omnia, quæqúe ex iis & pristinis Inuestituris debentur, omnia in suo robore integra inuiolataque permanere, S. Regia Maiestas, Amplissimusque Senatus volunt, nominatim, ne ad honores & ad officia publica, Magistratusqúe & Artium præfecturas alij, quàm Ducatus Prussiæ Incolæ, secundúm Priuilegia, antiquamqúe obseruationem Ducatus adhibeantur. Priuilegia ad terras Prussiæ pertinentia, si quæ à Cruciferis adhuc reliqua sint, secundùm pacta etiam vetera, quò in Archiuum Regni inferantur, restitui debebunt.

Eorum etiam, qui per hoc tempus aliqua in re ad S. Regiam Maiestatem confugerunt, supplicesuè libellos obtulerunt, securitati & indemnitati per omnia cautum S. Regia *Maiestas*, Amplissimusque Senatus vult, ita, ne ea res vnquam apud illustrissimam Celsitudinem eius, successoresuè Ipsius, aut Magistratus, fraudi dam nouè illis cuipiamuè illorum sit.

Ad extremum, vnam etiam conditionem longè æquissimam adijciendam. S. Regia Maiestas Amplissimusqúe Senatus existimant, vt si hisce conditionibus de negotio iam conuenerit, atque postea illustrissimus Princeps, Albertus Fridericus, nunc æger, valetudini restitutus fuerit, vel ex præsenti matrimonio, vel eodem diuina fortè voluntate, soluto, ex alio masculam prolem susceperit, ne vel ipsi vel posteritati eius legitimæ masculæ, si quam ei Deus concesserit, tractatio iusuè hoc illustrissimi Principis Electoris, vlli detrimento præiudicioqúe sit.

Quas quidem conditiones, quemadmodum Domini Oratores, vi pleni potentiæ exhibitæ illustrissimi Principis Electoris nomine (exceptis iis, quæ expresse in hoc responso in aliud tempus dilata sunt) acceperunt, ratasqúe firmas ac irreuocabiles fore spoponderunt: Ita S. Regia *Maiestas*, cum Amplissimo *Senatu*, vt in proximè futuris saltem Comitis omnium Ordinum consensum atque authoritatem in eas obtineant,

iisqúe

iiſqúe totum negotium componatur, cõtrouerſiaque omnis ſopiatur, ſedúlam operam daturos, omniqúe ſtudio ſe incubituros promittunt pollicenturqúe. Qui quidem Conſenſus Ordinum poſtquam obtentus fuerit, Illuſtriſsimus Princeps Elector ad Comitia poſtea in perſona veniat, Homagiumqúe & Iuramentum eodem, qui ſupra oſtenſus eſt, modo, prꝏſtet, quod cùm præſtiterit, Priuilegium inueſtituræ, ſecundùm etiam vetera pacta, Inueſtituraſqúe, & haſce conditiones, quæ reſponſo hoc propoſitæ ſunt à *S.* Regia Maieſtate Domino noſtro Clementiſsimo ei tradetur, ſimul etiam Commiſſarij à *S.* Regia Maieſtate deſignabuntur, qui in poſſeſsionem Ducatus, authoritate *S.* Regiæ *M*aieſtatis, illuſtriſsimam celſitudinem ſuam mittant, eademqúe de quibus conuenerit, executioni mandẽt. Interim quo magis etiam beneuolentiam, propenſionemqúe *S.* Regiæ Maieſtatis & Ampliſsimi Senatus, illuſtriſsima celſitudo eius ergà ſe perſpiciat, conſilio conſenſuqúe Senatorum ſuorum adhibito. Curam etiam ægri Principis Ducatuſqúe eius adminiſtrationem, non tàm iuris aliqua neceſsitate, quàm ex mera clementia ac benignitate Regia (vt quæ tota in poteſtate *S.* *R*egiæ *M*aieſtatis ſit, quemadmodum iure eo deceſſores *S* Regiæ Maieſtatis vſi ſunt, Ipſaqúe etiam *S.* *R*egia *M*aieſtas ſibi ſucceſſoribuſqúe Regibus Poloniꝏ integram reſeruat), conferendam duxit, quemadmodum nunc etiam conditionibus infràſcriptis & ſu-

 perioribus

perioribus eodem ſcripto comprehenſis, de quibus conuenit conferet.

Primùm quidē ne Adminiſtratio hęc Curauè alterutrius partis, Iuri vel addat quicquam vel demat, ſed in eo, in quo nunc eſt ſtatu, vtriuſque partis ius integrum permaneat. Deindè, vt per Conſiliarios Regentes Ducatus Prusſiæ Illuſtriſsima Celſitudo eius Curam eam eouſqúe adminiſtret, quoad Homagium iuramentumqúe ſolenniter celſitudo eius præſtet. Conſiliarij verò, tanquam Curatori ſucceſsionis iure, in eo, in quo nunc eſt ſtatu relicto, in adminiſtrationem fidelem iurare poſsint, Eiuſq; rationes eidem reddant. Interim etiam antequam Homagium & iuramentum *S. Regieæ* Maieſtati illuſtriſsimus Princeps Elector præſtiterit, ab ingreſſu Pruſsiæ abſtineat, neque quenquam ex illuſtriſsimis filiis iſtuc mittat, ſine ſcitu & permiſſu *S. Regiæ* Maieſtatis: Mandatarios tamen miniſtroſqúe ſuos ad inſpiciendas res mittere poterit. Tum verò vt æger Princeps Illuſtriſsimaqúe Coniunx ipſius ex dignitate exhibeantur, omniaqúe quæ tàm ad alimenta, neceſsitatemqúe: quàm etiam dignitatem eorum pertinebunt, liberaliter illis ſubminiſtrentur; Ea ad extremum adiecta cautione, ne quid in contrarium ab iis, quæ ſupra ſcripta ſunt, illuſtriſsima celſitudo eius attentet, quo numine & de conditionibus ſuprà ſcriptis ſeruandis cautio à Dominis Legatis interpoſita eſt, quam illuſtriſsima etiam celſitudo ſua ſpecialibus literis ſuis, primo quoque tempore ad

S. Re-

S. Regiam Maiestatem mittendis, ratam habere, ac iisdem de rebus omnibus, omni meliori modo, cauere tenebitur.

Quibus omnibus etsi propensissimam voluntatem ergà se S. Regiæ Maiestatis, atque Amplissimi Senatus facilè illustrissimam celsitudinem suam perspecturam S. R. M. non dubitat: vt tamē Domini Oratores quoque prolixè de ea illustrissimæ celsitudini suæ confirment, benignè S. R. M. postulat, iisdemqúe Ipsa quoque clementiam gratiamque suam Regiam defert. &c.

Præsentibus Illustriss: Reuerendiss: Illustr: Mag: Generosis, & Nobilibus. Ioanne Zamoyski Archiepiscopo Leopolień. Bernardo Macieiovvski: S. R. E. Cardinali, Episcopo Cracouień. Petro Tylicki, Wladislauień: & Pomeraniæ. Laurentio Goslicki, Posnanień. Alberto Baranovvski, Płoceń. Symone Rudnicki, Warmień. Martino Syskovvski, Luceorień. Mathia Pstrokoński, Przemyslień & Regni Poloniæ Vicecancellario. Laurentio Gembicki, Culmeń. Christophoro Kazimirski, Kiouień. Paulo Vołucki, Cameneceń, Episcopis. Hieronimo Gostomski Posnanień, Sredeńq; Cap. Nicolao Christophoro Radzivvił, Duce in Ołyka & Niesvviez, Vilneń. Szavvleńq; Cap. Georgio Mniszek, Sendomirień. Leopolien. Samborieńque Cap. Alexandro Koniecpolski, Siradien. Zarnouieńq; Cap. Carolo Chotchiewicz, Cap: nostro Sammogitiæ. Stanislao Minski, Lęcicien. Płoceńque Cap.

 Stani-

Stanislao Gulski, Rusſiæ Barenq; Cap. Stanislao Kraśinski, Płocen. Hieronimo Paris, Maſouiæ. Ianuſzyo Duce à Zbaraſz, Bracłauien. Palatinis. Ioanne Comite ab Oſtrorog, Poſnanien. Stanislao Bykovvski, Lencicien, Siradienq; Cap. Petro Myſzkovvski, à Mirovv, Lublinen: Tiſsouienque Cap. Andrea Firley, de Dabrouica, Radomien: Zbigneo Oſolinski, Zarnouien: Caſtellanis. Chriſtophoro Dorohoſtayski, M. D. Lit. ſupremo Marſchalco. Leone Sapieha, M. D. Lit: Cancellario. Nicolao Wolski Regni. Petro Wieſiołovvski, M. D. Lith: Curiæ Marſchal: Andrea de Bnin Opalinski, Regni noſtri Secretario Maiore. Henrico Firley, Scholaſtico Cracouien: & Ioanne Thoma Drohoievvski, Cap. Przemiſlien: Referēdariis Curiæ noſtræ. Iacobo Lempicki, Gneſnen: Cracouienque Canonico, Reinholdo Heidenſtein, Secretariis noſtris, & aliis quā plurimis Dignitariis, Secretariis & aulicis noſtris.

Sigiſmundus Rex.

Locus ſigilli.

Lubienski.